



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Peccatis Et Gratia, Fide, Spe, Et Charitate

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Quæstio III. Explicatur Natura Entis supernaturalis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82969)

nomine non venit tota universitas rerum, ut dixi Præm. 4. sed neque solæ vires activæ, ut dixi Præm. 5. Imò nec supernaturale debet esse supra vires passivas, ut dixi Præm. 6. nec erit jam quidquam residuum unde desumatur supernaturalitas, quam ex superantia cujuscunque naturæ creatæ, vel creabilis. Ut dixi Præm. 7. hoc ultimum ut explanetur sit.

QUÆSTIO III.

Explicatur Natura Entis supernaturalis.

DICENDUM est. *Ens supernaturale absolute acceptum, est esse excedens quancunque existentiam substantiæ creatæ, aut creabilis radicaliter acceptum.* Seu, quod est radix superandi existentias omnis substantiæ productæ, & producibilis; supernaturale autem respectivè acceptum, est esse excedens quancunque existentiam substantiæ creatæ, aut creabilis, formaliter acceptum.

PROBATUR 1. Conclusio. Quia prædicta definitio, competit omni, soli & semper supernaturali; proceditque per prima.

PROBATUR 2. Quia nulla melior & commodior assignari potest definitio, & prædicta nullo vitio laborat.

PROBATUR 3. Quia Definitiones concipiendæ sunt conformiter ad ipsas etiam significationes vocum; alioqui non hoc, sed aliud quidpiam definitur: prædicta autem definitio procedit attendendo ad ly supernaturale, & quancunque alia adfertur, aut legitima non erit, aut ad vim vocis non attendet. Sed insuper.

EXPLICATUR 1. Conclusio discursu Magistri meorum Magistrorum; quo titulo appellare consuevi Pæ memoriam Rndum P. Laurentium Pikarski, Virum magni, & acutissimi ingenii, cujus Philosophica & Theologica scripta, utinam lucem vidissent. Substantia quæcunque creatæ, suscipit quædam à Deo causante, quæ ex vi suæ naturæ exigit tanquam sibi debita, aut saltem alicujus alterius perfectioris substantiæ à Deo creabilis perfectionem non superant, v.g. homo aliquis suscipit à Deo vim portandi 10. libras, aliquis verò alius, quascunque, defacto continet terra & aqua universa; qualis est Atlas. Jam vis portandi prima, defacto convenit homini ex principiis naturalibus, & est juxta existentiam ejus; altera verò non est quidem juxta naturalia hominis principia, attamen Deus potest creare talem substantiam portativam supra cujus vires hæc non essent. Et universalis supra suas exigentias. Eadem substantia creata à Deo suscipit alia quædam, quæ non modo suam existentiam superant; sed planè Deus talem substantiam facere non potest, cujus perfectionem naturalem non superent. & hæc vocantur excedentia, seu supernaturalia.

EXPLICATUR 2. Fundamento accepto ex

S. Th. 1. 2. q. 111. ad 2. Alia est hæc propositio, Non est hoc secundum existentiam naturæ; & alia, Est supra existentiam naturæ. Nam prius illud est ratio generica communis etiam ad excellentias, & defectus, qui dicuntur non esse secundum existentiam naturæ; & posterius non nisi nobilitatem quandam indicat, & quidem cum titulo excessivi; hoc posterius competit supernaturali, quod ex vi etiam nominis importat superantiam naturæ. Quia autem esse supra existentiam, & supra debitum, pro eodem sumuntur, erit necesse videre, supra quod debitum naturæ dicatur Ens supernaturale. Porro hoc debitum duplex potest esse, vel secundum conditionem naturæ, puta si dicamus debitum esse homini, quod habeat rationem, & alia quæ ad humanam pertinent naturam, ut inibi loquitur S. Th. Ens supernaturale quod est supra debitum non unius, sed cujuscunque naturæ creatæ, debet esse, nec secundum conditionem naturæ creabilis, nec secundum ea, quæ ad creabilem naturam pertinent. • Quia verò tamen est creatæ naturæ habere ens supernaturale: est enim ens supernaturale alicujus subiecti; cum ergo non subiecti increati, hoc enim nullum datur, sed non nisi efficiens increatum, hoc ipso debet esse subiecti creati. Jam verò hoc ipsum esse subiecti creati, dupliciter spectari potest. quod ut explicetur, incipiamus à notioribus descendendo ad minus nota. In moralibus ea quæ sunt quidem excellentia, pertinent tamen ad aliquem, nec sunt illi simpliciter indebita. Sunt quædam, quorum quidem inchoatio habetur in illo qui illam excellentiam exornatur, ita ut saltem ex aliqua suppositione habeat ad illa jus & existentiam secundum inchoationem moralem, ratione suæ entitatis, alias præhabita, licet nondum completam; & ita v.g. ut nobilis Polonus conditione pauper, fortiter agens, etiam ad Senatoriam dignitatem evehatur, habet ad hoc jus inchoatum, licet non completum, inchoatum inquam, in ipsa entitate sanguinis nobilis, & annexorum illi. Alia autem in moralibus sunt ita excellentia, ut non habeatur vis inchoata, sed simpliciter moralitas nova accedere debet condistincta moraliter se tota à prioribus, ex cujus non nisi adventu, tum primum acquiritur jus & status, priori, simpliciter se toto moraliter condistinctus, ut cum plebejus indiget primum in nobilium numerum alligi; tumque primum evadit capax dignitatum, ita ut ante acquisitionem hujus status novi moralis non fuerit nisi quædam potentia passiva moralis. Sic etiam in præsentia, sunt aliquæ excellentiæ ad quas habetur inchoata vis, vel in ipsa entitate, vel in illi annexis pro statu connaturali, & sic discursus de quadratura circuli, est quidem rudi homini donum excedens & indebitum: quia tamen rudis, habet principium discurrendi, animam, casu quo discursus.

currat de quadratura, non erit illi discursus ille supra jus ejus, saltem inchoatum: si tamen sit aliquod bonum, ad quod jus non habet inchoatum, sed illius possessio transferat ad alium statum condistinctum à priori, & prioribus similibus; ita ut ad illum statum, & conditionem solum præfuerit sola potentia passiva naturalis; illud ita excedens omnem substantiam creatam, & creabilem, ratione illius superantiae, supernaturale erit.

EXPLICATUR 3. Supernaturale, seu excedens quaecumque naturam creatam, & creabilem, per oppositionem ad naturam; opposita enim juxta se posita melius relucescunt. Tres sunt proprietates entis hoc ordine numerari solitæ. Unum. Verum. Bonum. ideq; ideò quia prius est esse in se, quàm ad aliud, unitas autem est in ordine ad se, prius ite est intelligere quàm velle, consequenter intelligibile præ volibili prius erit; verum autem idem est quod intelligibile; bonum idem quod volibile. Caterum si hæ proprietates spectentur secundum formalitates suas absolutas. Primum videtur esse verum. Secundum bonum. Tertium unum. Ratio, quia verum objectivum absolutè spectatum est esse secundum quod debet esse. Bonum autem est idem quod perfectum in quantum dicit excellentiam in suo genere; radicaturq; & communicabilitatem à parte sua, & appetibilitatem à parte aliorum. Quia autem non ideò est aliquid secundum quod debet esse: quia est perfectum & excellens, sed è converso; hinc fit, ut verum prius sit præ bono, etiam absolutè spectato; quia verò esse indivisum supponit esse perfectum ejus cujus sit divisio, fit ut tandem postrema sit ratio unius seu esse indivisi. Nihilominus posita etiam prioritate, & posterioritate istarum proprietatum in ordine ad nostras intentiones nunquam illæ inter se separantur, quod non tantum probat metaphysica ratio, petita ex identitate reali istarum proprietatum, sed etiam ex Instantiis physicis. Et ita natura, vel per se, vel aliunde petito adminiculo, reducit se in circulum, quæ figura, vel maximè ad unitatem accedit, quod apparet in aqua, arboribus, pulveribus, &c. quam proprietatem appellabat Pater Joannes Krempski, vir vastæ eruditionis Mundiabilitatem. Appetit item natura veritatem. Hinc ferrum v.g. vel ipsa æruginè; argentum item deauratum, vel ipso usu temporeq; ostendit quid sit, ex appetitu veritatis. Arbores crescunt, evolvuntur in fructus ex appetitu perfecti seu boni, & sic de reliquis.

Porro istud unum, istud perfectum, istud verum; non potest æquabiliter & eodem modo respectu omnium habere natura, habet tamen, ut dixi, semper: Nam major est unitas per identitatem, quàm per unionem substantialem compositivam, aut personativam, quam per unionem accidentalem &c. Major item est nexus

cum esse, quod esse debet per identitatem, quàm cum esse per completionem; in bono etiam, major est nexus cum perfectione essentiali, quàm cum accidentali; tamen natura omnia illa appetit, & ad illa se reducit, licet non eodem modo.

Universaliter autem hæc ferme sunt in quibus natura appetit unitatem, bonitatem, veritatem. Primo in identificatione. Secundo, in complementis substantialibus, tam ratione partium, quàm ratione suppositorum eorumque unionem. Tertiò, in passionibus ad complementum requisitis. Quarto, in principis agendi. Quintò, in eorum effectis. Unde est certa series agendi etiam in causis æquivocis: quia natura vult unitatem; tribuitq; effectus perfectionem univocam, vel æquivocam, titulo bonitatis, &c.

Hæc ergo spectari possunt à parte naturæ. Cui oppositum supernaturale illud erit, quod neq; identificatur alicui substantiæ creatæ, vel creabili; neque debetur alicui tanquam parti, tanquam terminus, tanquam passio, tanquam principium agendi, aut tanquam effectus, idq; titulo suæ excessivitatis, quæ tota collectione negatà verum erit, quod excedat quancumque substantiam creatam, vel creabilem, adeoque quod sit supernaturale.

ADDO. quædam ad explicationem terminorum in Conclusionem positorum. Loco generis ponitur potius particula esse quàm ens: quia esse acceptum nominaliter, est genus inferius ente, prædicabileq; immediatè de substantiæ & accidente, de essentia, & existentia. Genus autem in definitionibus proximum poni debet. Non accipitur pro genere accidens: quia possibile est aliqua entitas substantialis modalis, & tamen supernaturalis. Reliqua ponuntur differentie loco. Unde esse, Angeli non est supernaturale: quia debetur substantiæ creabili, quæ est Angelus; species Angelicæ, si ponentur in nostro intellectu non essent supernaturales; quia debentur alicui substantiæ nempe Angelo; nec esset supernaturalis intellectus positus in lapide; quia debita alicui intellectui concursus tamen ille qui præstaretur à Deo lapidi ad illam intellectionem producendam esset supernaturalis: quia excedens quoscumque concursus Angelo vel homini præstabiles. Dicitur autem quod supernaturale sit indebitum etiam creabili substantiæ: quia aliàs si supernaturale deberet excedere non nisi creatas naturas; tunc Angelo, qui nondum est creatus, gratia & lumen gloriæ non essent supernaturalia: quia sunt supernaturalia non nisi ratione naturæ creatæ, sufficissetq; ponere omnem substantiam creabilem, nisi quod ly creabile, possit sumi non nisi pro postea creanda. Additur Ly Radicatur, quia tali addito rationes respectivæ transcunt in absolutas, primò definitivas. Quod ut intelligatur.

Novo

NOTO 1. Rationes absolutas esse nobis ignotas. Tum quia. Id experimur: quæ enim est ratio absoluta definitiva hominis, cum ratione sit quid respectivum ad actus? quæ ratio definitiva caloris, cum ratio productivi calefactionis sit etiam respectiva. Tum quia. Rationes absolutæ, non petunt secum cointelligi aliud, quod autem non petit cointelligi aliud, diffusius intelligitur, vel ex proportionem ad sensibilia: nam unam arborem à longe non videremus, videremus sylvam. Tum quia. Rationes respectivæ adferentes pluralitatem objectorum, involvunt pluralitatem convenientiarum, & differentiarum, adeoque plures titulos noscibilitatis. Dumque per relationes non prodit se natiura ad extra, manet in secreto quasi difficultiori attingibilitatis.

NOTO 2. Quod alibi repetitò inculcatum. ut ly radicaliter evadat definitivum absoluti, debet apponi formalitati primæ respectivæ: quia hoc ipso daretur prior radix, adeoque prior illa non esset radix. Unde non rectè homo definitur per risibile radicaliter: quia datur prior radix & rationalis radicaliter. Hoc in præsentis servatur: quia superantia naturæ quæ est quid respectivum, nihil datur prius in supernaturali; lyq; radicaliter illi additum, evadet primo essentialis conceptus.

NOTO 3. Quod ratio respectiva formalis, quæ additione termini Radicaliter, extrahitur ad rationem absoluti, nulli possit competere, nisi cui competit ipsa ratio radicalis: quia istæ rationes sunt indistinctæ realiter, & si illa ratio formalis non competit per aliquid superadditum, sed per se ipsam, hoc ipso habebit identitatem sibi rationem radicalem; & ita nihil potest esse seipso habens formaliter rationalitatem, quin etiam habeat illam radicaliter. Unde etiam in præsentis nullum competet esse formaliter superantiam substantiæ, nisi cui competet radix illius superantia.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. Sunt pro statu naturæ puræ, debiles gratiæ; illæ per nos deberent esse supernaturales: quia gratis datæ, adeoque indebitæ, & tamen supponuntur illæ gratiæ nonnisi naturales?

RESPONDETUR. Ly debitum non debet accipi hic prout importat ly obligat, & prout excludit gratis: Nam & ipsum esse humanum, Petrus existens, accipit gratis, & à Deo non obligato, ut illum producat. Sed accipi debet ly debitum, prout opponitur excedenti: quia verò illæ gratiæ, non essent excessivæ substantiæ creatæ, & statûs naturalis, sit, ut illæ gratiæ non sint supernaturales.

OBJICITUR 2. De hoc ipso restat quærere quid sit hoc esse excessivum radicaliter acceptum.

RESPONDETUR. Restat quidem quærere, sed quæstione consimili; quæ restat quærere, quid sit animal rationale: & sicut isti quæstioni nonnisi per inductionem particularium, & explicationem terminorum sit satis. Ita & in præsentis.

OBJICITUR 3. Homine in statu supernaturali constituto, non excedit statum illius gratiarum supernaturalium collatio; & nihilominus illæ gratiæ sunt supernaturales. Ergo stare potest, ut aliquid supernaturale, non sit excessivum substantiæ.

RESPONDETUR. Aliquod supernaturale potest non esse excessivum substantiæ, non quomodocunque sumptæ, sed elevata; superantia autem naturæ, quam adstruimus in ente supernaturali; debet esse respectu naturæ non elevata: fieri enim potest ut aliquid supernaturale habeat denominationem naturalis. Sicut miraculo non est miraculum sed natura, miraculum esse; ita & supernaturali non est supernaturale, sed naturale, esse supernaturale.

OBJICITUR 4. Ex dicta explicatione sequi, quod memoria quam retinent damnati, de suis actibus supernaturalibus quos fecerunt sit supernaturalis; actus item reflexos factos à peccatoribus supra actus supernaturales in gratia factos: neq; enim isti actus fieri possunt, nisi habeantur actus supernaturales; & tamen hanc memoriam, & reflexionem omnes ponunt esse naturalem.

RESPONDETUR 1. Arriaga, hæc non esse entitativè supernaturalia; sed nonnisi præsuppositivè: quia scilicet præsupponunt actus, supra quos memoria, vel reflexio cadit; debenturque naturæ: quia hæc est ex natura sua reflexiva & memorativa.

RESPONDETUR 2. Sicut nos cum elicimus actum supernaturalem, non internoscimus ejus supernaturalitatem; sic nec memoria illorum actuum cadet supra illos actus quæ supernaturales sunt, sed non nisi supra rationem communem actus habiti, quæ ratio non est supernaturalis. Et certè, si illa memoria actus supernaturalis, esset intuitiva, & ipsa esset supernaturalis, non est autem intuitiva, sed est similis ei notitiæ, quam habet Metaphysicus de supernaturalitate ut sic.

INSTABIS 1. Ex hac doctrina sequi, actus maxime supernaturales esse naturales: quia sicut ex suppositione actus supernaturalis habiti, debetur memoria illius actus; ita ex suppositione gratiæ & habituum, debentur actus supernaturales, dicitq; poterit illos nonnisi præsuppositivè esse supernaturales.

RESPONDETUR. Disparitatem imprimis esse: quia illa memoria debetur nonnisi naturæ, qua natura est, actus autem illi non debentur naturæ, sed gratiæ; adeoque naturæ quæ elevata. Unde memoria illa non est supernaturalis:

ralis: quia non habet superantiam cuiuscunque naturæ creatæ, vel creabilis, utpotè omnino similis cognitioni metaphysicæ de supernaturalitate, illi autem actus dicunt talem superantiam.

INSTABIS 2. Defacto supernaturalia debentur substantiis creatis: quia posito lumine gloriæ, sequitur visio supernaturalis, quæ ipsa non debetur lumini, sed animæ videntis.

RESPONSUM. Supernaturalia posse deberi substantiis creatis, quæ elevatis per aliquid su-

pernaturale; licet non debeantur substantiis creatis secundum se spectatis.

OBJICITUR 5. Positâ supernaturali cognitione alicujus boni, ratio exigendi concupiscendum illud bonum est anima. Ergo supernaturalia non superant exigentiam creaturæ.

RESPONSUM. Rationem exigendi illius concursus esse animam, non quocunque modo spectatam, sed prout elevatam. Conclusio item procedebat de substantiis secundum se spectatis.

DISPUTATIO IX.

De Divisione Entis Supernaturalis & Specificatione.

Divisio Communis est in naturale substantiale, qualis est per multos Unio Hypostatica, & in naturale Accidentale, qualia sunt, lumen gloriæ, gratia, dona, character, &c. Dividitur item supernaturale, in spirituale, qualis est character; & in materiale, qualis esset qualitas supernaturalis re-creativa gustus humani in cælo, quam ponunt aliqui. Dividitur item in supernaturale quoad substantiam, & supernaturale quoad modum. Supernaturale quoad substantiam quod est cuiuscunque substantiæ creatæ, vel creabilis superativum secundum suam entitatem, talis est Visio Beata, Gratia. Supernaturale autem quoad modum, est, quod quoad speciem non est indebitum alicui creaturæ; licet quoad circumstantias hæc & nunc sit indebitum; idque pluribus modis contingere potest. 1. ratione modi existendi, ut si quantitas existat sine omni subjecto. 2. ratione modi agendi, ut si fiat ignitio sine præviis alterationibus. 3. ratione sublati impedimenti, ut si cæcus videat. Divisio quæ facessit difficultatem est in accidens supernaturale, quod omnes admittunt; & in substantiam supernaturalem, quam posse dari post Molin. docet Valentia Prima parte, d. 1. qu. 12. pun. 3. Ripalda, multis præcipue d. 23. Negant illam Suar. & Vasq. quibus accedit Rec. Suar. citatus §. 10. & Amicus 1. p. d. 9. Sect. 6. n. 160.

QUÆSTIO I.

*Potestne dari species Entis Supernaturalis,
quæ sit substantia Supernaturalis
Creatæ?*

DICENDUM est. *Impossibilem esse substantiam supernaturalem creatam.* Implicantiam adferre non est ita obvium.

DIFFICULTAS I.

Examinantur Implicantia.

PRIMA sit quam adfert Amicus: Implicat quod est proprium unius naturæ, fieri proprium alterius, nisi natura unius commutetur in naturam alterius, sed omnis operandi modus supernaturalis, est proprius Dei. Ergo implicat fieri proprium creaturæ.

RESPONDETUR pluribus viis. Imprimis Argumentum multum probat: probat enim supernaturale accidens non posse dari: quia si proprium unius naturæ substantialis, non potest fieri proprium alterius, naturæ substantialis, multo minus poterit fieri proprium accidentis, consequenter accidens non poterit habere modum agendi supernaturalem? Quod si dicas alio modo supernaturalitatem convenire accidentis dicent oppositi, alio etiam modo posse convenire substantiæ supernaturali. Rursus operatio supernaturaliter à se, est proprium Dei, & incommunicabile creaturæ, licet ab alio accepta virtute, possit operari creatura. Denique alia sunt ultimò propria Dei, & hæc non possunt communicari creaturæ, alia non ultimò propria: sicut proprium est Deo misereri & parcere, & tamen conveniens etiam creaturis. Non ostendit autem implicantiam argumentum, quod operari supernaturaliter, sit ita proprium Dei ut sit ultimò proprium, & incommunicabile substantiæ supernaturali.

IMPLICANTIA 2. est, quæ etiam utitur Rec. Suar. Repugnat creatura suapte naturâ ac propriis viribus videns Deum, si autem daretur substantia supernaturalis, propriis viribus posset videre Deum. Minor, probatur: quia talis substantia posset naturaliter fieri grata, gratia tan-